DISSERTATIO DE JURE BELLI IN GENERE, QUAM, SUB PRAESIDIO ... JOACHIMI CLUTEN...

Joachim Cluten, Jacob van der Heyden, Friedrich Tüntzel, ...

Digitized by Google

GENEROSO MULTISQUE NOMINIBUS INCOMPARABILI HEROI,

DN. CASPARO à Schönberck in Pulsnitz & Gürich hereditario; Sereniſſimi Dn. Electoris Saxoniæ Conſiliorum intimorum Directori feliciſſimo, nec non judicii ſummi Appellationum Præſidi laudatiſſimo.

Gente ac mente ſplendidiſſimo Viro,

DN. WOLFGANGO à Lüttichaw in Kmelen &c. Sereniſſimi Dn. Electoris Saxoniæ CANCELLARIO eminentiſſimo.

Nobiliſſimis inſuper, Strenuis, Magnificis & Conſultiſsimis Viris,

DNN. CONSILIARIIS ELECTORALIBUS Aulicis univerſis ac ſingulis.

Dominis Mecœnatibus Patronis & Evergetis ſuis æternùm ſuſpiciendis,

γύμνασμα hoc Academicum, eâ quâ par eſt, obſervantiâ & humilitate

dicat ac conſecrat

FRIDERICUS TÜNCIL,
A. & R.

DE
JURE BELLI IN GENERE.

Præloquium.

LIcet bellum competat immanibus belluis, Pax verò alma homines & deceat, & ab ijsdem votis ſummis expetenda ſit: vicinorum tamen inſolentia, iniquitas, ambitio, & æſtuans dominandi libido ſæpius anſam præbēt, ut, pace ruptâ ab inquietis, nonnunquam invito ſit ad arma deſcendendum, & pro aris focisque pugnandum. *Cic. Ep. fam.* 12. 3. Quandoquidem autem afflictiſſimo hocce atque calamitoſo ſeculo

Quo ſævit toto Mars impius orbe,

In tantū progreſſa ſit hominū malitia, ut vel quavis occaſione alterius bonis inhiare, & ubi vulpina nō pertingit, leoninam aſſuere non vereantur, rati cum Euthydemo apud Thucydidē, imperiū & potentiam habenti, nihil eſſe injuſtum quod utile: adeoq; hinc

effrenibus cupiditatibus omninò indulgentes, modò vel minutiſſimam nacti ſint anſulam, manum cum ſibi forſan viribus impare & inferiore conſerendi, omnibus legibus (quippe quas armorum ſtrepitus exaudiri non patiatur: *Val. lib: 5. cap: 2. Plut Apoph. reg.*) ſe ſolutos ſomnient, ſcilicet imitati Antigonum illum. *Plut. de vit. Alex.* qui ſtolidum dixit philoſophum; ipſi tunc urbes alienas vaſtanti libellum de juſtitia offerentem, ſive Pompejum Magn. qui Mamertinis privilegia quædam obtendentibus: Non deſinetis, reſpondit, gladiis nobis accinctis laudare leges: Id quod, proh dolor, & noſtra dulciſſima Germania nunc per integrum luſtrum, & quod excurrit, ſatis ſuperq; edocta fuit: Quare nõ dubitavi dolium meum, quaſi in Corinthiorũ tumultibus, cum Diogene volvere, & pro viribus demonſtrare, nec omnino nihil neque omnia in bello licere. Magnam ſanè rem aggredior, ac proinde mihi metuendum, ne me noſtris Pyrgopolinicis ludibrio exponam: At non judicem mihi velim Hannibalem barbarum, & ut à pietate atque humanitate, ita quoque à literis alienum: Sed nec Thraſones iſtos noſtros

ſtros & Martes glorioſos judices deſidero & cenſores, qui præterquam quod in ſermone ampullas & ſeſquipedalia catervatim eructare verba (quorum tertium quodque execrationum horrendis fulminibus intonare, & omni ſpurcitie fœdare ſibi laudi & gloriæ ducunt) non niſi rapinas & ſpolia laniienasq; truces, cum divinis præceptis tum naturali æquitate ac jure humano publico privatoque damnatas, exercere didicerunt: Iſtud unice intendo, ut licet non comprimam, ſufficiat convincam audaciam. *Bernh: Ep.* 190. Sicubi verò de uno vel altero non dextrè ſenſerim, haud quis promptius me monebit errantem, quàm ego monentes ſequar.

Quandoquidem juſtitiæ, quæ circa bellum occupata eſt, ſumma hæc eſſe videatur, ut nimirum juſtum bellum juſtis ex cauſis ſuſceptum juſtè geratur & adminiſtretur, cenſemus totam tractationem de iure belli in genere, tribus hiſce in cardinibus vertidum quæramus: I. An ſit bellum aliquod juſtum: II. Quænam cauſæ ad juſtum bellum ſuſcipiendum re-

quirantur. III. In ſuſcepto quid quantumque licitum ſit.

DE PRIMO.

Statuimus eſſe bellum [a] aliquod juſtum. [b]

a) Ut eò clarius mens noſtra pateat, ex uſu fore credimus, antequam probemus theſin, & Etymologiam vocabuli belli præmittamus, & definiamus bellum: Id quod dicitur Dn. D. Georg Obrecht. *in tractatu de bello diſp.*1.*proëm.* & verè bellum ſcilicet ratione finis & effectus, & quaſi minimè bellum non quidem per ſe, tamē per accidens. Feſtus à bellua deducit: quod belluarum ſit, non hominum, in mutuum exitium congredi, ſiquidem, ut canit Poëta:

Pax homines, ſævas trux decet ira feras.

Priſciano & Servio κατ' ἀντίφρασιν placet quaſi minimè bellū, ſicuti Furiæ infernales Eumenides, quæ tamen nullo pacto εὐμενεῖς & benevolæ ſunt. Alberico Gētili *in tractatu de jure belli l.*1.*c.*2.*pr.* derivatur à græco βάλλειν à quo & βέλος, quòd res in bello geratur telis & armis: Nonnullis quaſi bonum & bellū abſolutè, ac deni-

nique aliis aliter. Nobis, qui in cujusvis horum ſententiā inquirere meritò veremur, arridet placitum eorum, qui vocabulum belli originem ſuam traxiſſe cenſent à veteri voce DUELLUM, eâdem ſcilicet ratione, quâ bonus à DUONUS, item BIS à DUIS &c. argumento ſanè eſt quod & antiquitus DUELLI nomine appellatum fuerit: quod evidentiſſimè teſtatur Ep. Horat. ad Loll. ubi hæc verba habentur:

Græcia barbariæ lento colliſa duello:

itemque Livius *lib.* 1. res raptas puro pioque duello quærendas judicat.

Definitur porrò BELLUM, à Dn. D. Georg. Obrecht. *d.l.* Actio ad injuriam depellendam vel vindicandam à Magiſtratu vi armisque adverſus hoſtes pacis retinendæ vel conſequendæ cauſa legitimè ſuſcepta & adminiſtrata, verùm quid de hac ſentiendum, vide ſtratagematographiā Eliæ Reusneri *lib.* 1. *cap.* 3. A Lipſio *lib.* 5. *Polit. cap.* 3. vis & arma in principem aut populū aliquem: Ab Alberico Gentile in ſupra citato tractatu publicorum armorum juſta contentio: A Cicerone certatio per vim: & ſi quæ ſunt aliæ aliorum vel definitiones vel deſcriptiones,

dùm traditam derivationem BELLUM eſſe ſtatum per vim certantium quâ tales ſunt.

b) Bellum itaque aliquod, ſive, quod eodem recidit, bellare nonnunquam juſtū eſſe, (quicquid etiam Seneca *Ep.* 88. *&* 96. *Cyp.* 2. *Ep.* 2. Cœl. Lactant. 6. *Inſt.* 6. 18. & alii objiciant) probatur I. ex naturæ jure; ſiquidem igniculi iſtius nobis reſidui, undeque ortus principia nactæ ſunt leges civiles, defenſionem, vindicationem, ac, niſi ultrò & ſpontè morem geramus legibus, has armata manu effectui tradere executionique ſuadeant. Prout manifeſtum eſt & ad oculum patet ex Cic. qui 3. *de Finib. & aliis quoque in locis*, inter prima naturæ refert, quòd *ſimul atque natum eſt animal ipſum ſibi concilietur & commendetur ad ſe conſervandum adq; ſuum ſtatum, & ad ea quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus diligendum: alienetur autem ab interitu iisque rebus quæ interitum videantur adferre.* Item: *Primum eſſe officium ut ſe quis conſervet in naturæ ſtatu; deinceps ut ea teneat quæ ſecundum naturam ſint, pellatque contraria*: Jam quæ-

quæſo quem, nî forſan mente privatum, lateat, hic nihil omnino ex primis hiſce naturæ bello repugnare, quin imò potius omnia ei favere.

Nam & finis belli vitæ membrorumq; conſervatio & rerum ad vitam utilium, aut retentio, aut acquiſitio illis primis naturæ maximè conveniunt, & vi ad eam rem, ſi opus ſit, nihil habet à primis naturæ diſſentaneum, cum animantibus ſingulis & vires & inſtrumenta ſint à naturâ conceſſa, quæ ad ſe tuendum adeóque cetera exequenda ſufficiant. Nec eſt modò ut exemplo nobis ſint beſtiæ, quoniam id ipſum quoque infantuli nobis perhibent, dum ſcilicet injuriam extrinſecus irruentem manibus pedibusque declinare conantur. Audiamus Ulpianum: hic *in l. 1. §. vim vi. ff. de vi & vi arm. vim*, dicit, *vi repellere Caßius ſcribit, idque jus natura comparatur.* Gajus *in l. Itaque. 4. pr. ff. ad leg. Aquil.* inquit, *adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.* Confirmant idem teſtimonia ſacri codicis, quale eſt illud Abrahami reportantis victoriam à quatuor Regibus qui Sodoma diripuerant: hoc factum DEUS per ſacerdotem ſuum

B Mel-

ſtoria appareat nullo ſpeciali mandato divi-
no tunc arma cepiſſe eum: Fretus igitur fuit jure naturæ, vir non modò ſanctitate, ſed & prudentiâ condecoratus. Sic Hebræi ducibus Moiſe & Joſua Amalecitas vim ſibi inferentes repellunt, nullo ſpeciali juſſu DEI. *Exod.* 17. quod tamen pòſt factum DEUS probat. Item: Dum *Deut.* 20. 10. 15. ipſe DEUS leges generales & perpetuas præſcribit belligerandi, vel hinc videre licet bellum etiam quoddam ſine ſpeciali mandato eius juſtum eſſe poſſe: nam apertè ibidem cauſa ſeptem populorum à cæteris diſtinguitur: Cumq; inſuper de juſtis cauſis belli nihil omninò eo loci edicat, eo ipſo oſtēdit eas, naturaliter ſatis eſſe manifeſtas: qualis cauſa tuendorum finium in bello Jephtæ verſus Ammonitas *Iudic.* 11. Violatorum Legatorum in bello Davidis adverſus eosdem 2. *Samuel.* 10. &c. Huc perquam aptiſſimè quadrat inſignis iſte locus Cicer. *in oration. pro Milone*: *Eſt*, inquit, *hæc non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expreßimus, ad quam non docti, ſed facti non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut, ſi vita noſtra*

in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Et: *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vitâ ſuâ arcerent:* Conſtare itaque puto jure naturæ bella minimè improbari. II. Deinde nec bella jure Gentium damnari clariùs ex hiſtoriis & omnium populorum moribus negantes refelli poſſunt, quàm ut hoc in loco fruſtrà operam locemus ſupervacaneam *l. Ex hoc. 5. ff. de I. & I. jure gent. introducta eſſe bella fatetur*: cui adde Nov. 89. *cap.* 1. *verſ. natura & ſeqq.* & Livius *lib.* 42. *Iure gentium*, inquit, *ita comparatum eſt, ut arma armis propulſentur.* III. Jure porrò & divino bella licita eſſe, haud obſcurè ex paulò ante citatis exemplis conjicere licet, quæ ſimul explicant ac teſtantur, legem Noæ ejusque poſteris datam *Gen. 5. 6.* non latiùs patere lege: Non occides. Sunt quidem & exempla & teſtimonia alia in veteri Teſtamento, pro ſententia hacce facientia, attamen cum vel hæc ſufficere queant, enumerationi prolixiori & faſtidioſæ libens ſuperſedeo. Inquiram

tamen in teſtimonia quoque novi Inſtrumenti, inter quæ primas tenet iſtud reſponſum D. Johannis Baptiſtæ, quod *Luc.* 3. 14. reddidit militibus, idquod apertam ſatis militiæ approbationem continet. Deinde argumento nobis eſt exemplum Cornelii Cēturionis *Act.* 10. qui & Spiritum S. ſignum indubitatum juſtificationis accepit, & in nomen Chriſti à Petro Apoſtolo Baptizatus eſt, militiam autem abdicaſſe aut ad eam abdicandam à Petro monitus nullibi legitur. Nec Paulus milites, quorum præſidio in itinere adverſus vim uteretur, monuit DEO non placere, ut vis vi repellatur, imo ipſe à Tribuno eosdem ſibi addi petiit. *Actorum* 23. Atqui is erat Paulus qui nullam occaſionem edocendi officii aut omitteret ipſe, aut omitti ab aliis vellet. 2. *Timoth.* 4. 2. Idem *Actor.* 25. 11. Supplicia ultima etiam poſt publicatam Evangelii legem exerceri debere innuit: Unde facilis eſt collectio, ſi delinquentium multi & armati ſint, nihil omnino obeſſe quin bello coerceantur. In Apocalypſi prædicuntur bella quædam priorum cum manifeſta approbatione. *cap.* 18. 4. Hinc tandem

liquet

liquet rectiſſimè etiam Imperialibus receſſibus bella certo quidem modo, & pro ratione circumſtantiarum emergentium, in Imperio noſtro recepta & comprobata eſſe; *vide R. I. Aug. Anno* 1500. *art.* deß Reichs Hauptmann betreffent. *&, ſeqq. usque ad articulum* wann das Gelt zu deß Cammergerichts *&c. item* Römiſcher Keyſerlichen Mayeſtät vnd deß heyligen Reichs Reuterbeſtallungen zu Speyer *Anno* 1570.

Et hactenus de Primo.

DE SECVNDO.

Quando jam & ob quas cauſas bellum ſuſcipere liceat quæritur: Et volumus I. Ob injuriam,[a] quâ petitur aut corpus,[b] quo membra[c] & pudicitiam[d] refero: Aut res.[e] II. ob exactionem ſive ejus quod noſtrum eſt,[f] ſive quod nobis debetur,[g] ſive pœnæ.[h]

a) Hanc belli juſtam eſſe cauſam per ea quæ

quæ ſuperiùs tradita ſunt ſatis ſuperq; conſtare arbitror, quibus adſtipulatur D. Auguſtin. *de civit Dei.* 4. inquiens: *Iniquitas, (quã pro injuriâ accipit) partis adverſæ juſta bella ingerit*: cui accedit. Silius *de Ital. bello Pun.* 1. *n.* 2.

[b]) Et hanc ſive ob cauſam religionis, ſive aliam quandam intentetur (licet alium bello ad religionem tuam cogere jure nullo poſſi:) arcere quocunque modo poſſis haud prohiberis: natura namque quemque ſibi commendat: Imò qui tutelam non præſtat corpori & vitæ divinitus ſibi creditæ incurrit pœnam præcepti: Non occides: ſiquidem proximum amare jubemur juxta nos, non præ nobis ipſis. *vide gl. & DD. in l.* 1. *Cod unde vi. l. Si (ut allegas)* 4. *C. ad leg. Corn. de ſicar.* Cujus verba hæc ſunt: *Eum qui inferendæ cædis voluntate præceſſerat, jure cæſum videri. Bart. ad l. Furem.* 9. *ff. eod. & d l.* 1. *C. unde vi l.* 1. *C. Quand. lic. unic. ſine jud. ſe vind.* ubi dicunt Impp. *meliùs eſt occurrere in tempore, quam pòſt exitum vindicare.* Imò planius *in l.* 2. *&* 3. *C. ad L. Corn. de ſicar.* Quod tamen non extendendum ad alios præter aggreſſorem. *per l. Scientiam* 45. §. *qui cum* 4. *ff. ad L. Aquil.* ubi Paulus JCtus inquit. *Illum enim ſolùm*

lum, qui vim infert, ferire conceditur. Cumprimis verò hic requiritur, ut ſit periculum præſens & certum, non opinabile. Sic enim ait Thucydides *lib.* 1. *Futurum in incerto adhuc eſt, nec quenquam oportet eò commotum inimicitias ſuſcipere, non jam futuras, ſed certas.* Et Livia apud Dionem, *infamiam eos non effugere* cenſet, *qui facinus quod timent occupant.*

c) Quandoquidem & membri, præſertim alterius ex præcipuis, damnum cum vitæ ferè pari paſſu ambulet, imò & læſio ejus vitæ diſcrimen apportet, intentantem tale periculum bello repelli poſſe minimè dubito.

d) Hæc ut maximum ornamentū *Novell. quomod. oport. Epiſc.* 6. *cap.* 6. *in fin.* tàm jure divino quàm humano vitæ rectiſſimè æquiparatur, imò præfertur *l.* 2. *§. & cum placuiſſet.* 24. *ff. de Or. Jur.* Quapropter quin vim inferentem cum vitæ exitio arcere liceat nullus dubito. Manifeſta ſunt ex reſcripto D. Hadriani verba citata à Marciano JCto *in l. leg. Cornelia.* 1. *§. item Divus.* 4. *ff. ad leg. Corn. de ſicar: Is qui ſtuprum ſuis per vim inferentem occidit, dimittendus eſt.* Et beatus Auguſtinus

lib.

*lib.*1. de libero arbitrio: *Lex,* inquit, *dat poteſtatem vel viatori ut latronem, ne ab eo occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut mulieri, ut violenter in ſe irruentem ſtupratorem, ſi poßit, interimat. Adde Card. in Clem. Si furioſ. d. homicid. Covarr. ibid. part.* 3. §. 1. *n.* 2. *Sylveſt. in verbo Homicidium* 3. *quæſt.* 4.

e) Rerum quoque noſtrarum raptoribus ſive furibus rectè bellũ inferimus, eosque, ſi res ſint precioſiſſimæ, nec alio medio recuperari queant, interficimus. Sic inquit Demoſthenes in oratione in Ariſtocratem: *Nonne hoc per DEOS durum atque injuſtum eſt, nec ſcriptis tantùm legibus, ſed & communi inter homines legi contrarium, ut non ſinar vi uti adverſus eum qui hoſtiliter res meas rapiat.* accedit *l. Furem* 9. *ff. ad L. Corn. de ſic.* ubi verba *periculo ſuo,* ſic accipienda ſunt, nimirum: *rem ſervando.* Idem quoque colligere licet ex dictis Eccleſiaſtici *cap.* 35. 25. 26.

f) Sic inquit Auguſtinus *quæſt.* 1. *ſuper Ioſuam: Iuſta bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias: ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt.* Et Iſidorus *lib.* 18. *cap.* 9. *Iuſtum*

eſt

eſt bellum quod ex edicto geritur de rebus repetendis. Item Platænſes *apud Thucididem lib. 3. p. 211. a. Hæc communis omnium mortalium lex, ulciſci eos qui noſtra prædantur.* Plato *in Alcibiade. 1. tunc,* ait, *à nobis bella juſtè ſuſcipiuntur ſi rebus aut jure noſtro ſpoliamur.* Repete hîc ex generali probatione, ſupra BELLUM aliquod eſſe juſtum, ſub lit. B. exemplum Abrahami bello recuperantis direpta à quatuor Regib.

g) Aut ex nudâ promiſſione, aut ex contractu, & maximè quidem ſi juramentum additum fuerit. Ex promiſſione dico non quavis, ſed eâ duntaxat, quæ fit ab eò qui ſanæ mentis eſt ſuper re in poteſtate ejus exiſtente, liberè: Ex contractu verò qui initus ſit ſecundum legum præſcripta ipſóque jure conſiſtat.

h) Hanc quemlibet imperium habentem ab eo qui jurisdictionem eius agnoſcit, ſi pœnâ dignum quid commiſerit, pro ratione & modo circumſtantiarum exigere poſſe etiam bello, ne aliâ viâ eandem conſequendi detur, planum eſt. *vide* Reichsabſchied zu Nürnberg / Anno 1522. *Artic.* Wie die Straff vnd handlung zu handhabung gemeines Rechtens / ꝛc.

Reſtat ut jam dicamus quid quantũque in bello liceat juſtumque ſit. Hoc ſpectatur vel nude ex naturæ, [a] aut gentium [b] jure: vel quatenus ex promiſſo [c] deſcendit.

[a]) Natura, ut ſupra fuſius oſtenſum eſt, mihi permittit vitam meam petentem qualitercunque arcere: Rem alienam, ex quâ periculum mihi imminet certum, invadere & cuſtodire, donec ſecuritati meæ ſatis cautum ſit: Rem meam ei qui detinet eripere: & ſi id difficilius, aliud tantundem valens, ut & debiti conſequendi gratiâ: Pœnam juſtam quæ aliter impetâri nequit vi juſtâ exigere: Tueri me quoque contra ſocios me impetentis, & ab iis ſumptuum refuſionem damnorumque reſtaurationem petere, qui bellum injuſtum mihi inferenti ſe miſcuerunt ſcientes & conſultò, ſiquidem culpa damnum dederunt: imò & iis qui ſine probabili ratione bello ſuſcepto accedunt. Ceterùm & natura idem jus concedit in eos qui talia ſubminiſtrant hoſtibus, quæ tantùm

tùm in bello uſum habent. v.g. Arma, pro ut dictum Amalaſvinthæ ad Juſtinianum teſtatur. *Can. in c. Ita quorundam. & c. Ad liberandum. de Iudæis, &c.* non item in eos qui ſuggerunt nullum habentia uſum in bello, utputa quæ voluptatibus inſerviunt: Sic Seneca: *pecuniam quæ ſatellitem teneat non ſubminiſtrabo; ſi marmora & veſtes deſiderabit nihil oberit cuiquã id quo luxuria ejus inſtruitur: militem & arma non ſuggeram &c.* Ulterius natura dolum, fraudem atque mendacium, ſive mavis, ſtratagemata in hoſtem moliri permittit: ſive re, ſcilicet per fictionem fugæ, timoris, abitus &c. ſive verbis. Hinc Lucianus Phil. *laude dignos qui hoſtem fallunt*: Xenophon Hipp. *nihil utilius in bello dolis.* Ageſilaus *Plut. Apoph. decipere hoſtes & juſtum & licitum eſſe*: Polyb. *lib. 9. quæ vi fiunt in bello minoris cenſenda quam quæ ex occaſione & dolo*, voluit. Adde *l. 1. §. Non fuit. 3. ff. de dolo. l. Nihil. 26. ff. de captivis. & Auguſtinum in quæſt. 10. ſuper Ioſuæ. Item Can. 2. 23. quæſt. 2.* cujus tenor hic eſt: *Cum juſtum bellum ſuſcipitur, vi apertà pugnet quis aut ex inſidiis nihil ad juſtitiam intereſt.* Chryſoſtomus *1. de Sacerdotio: Maximè*, inquit, *laudari im-*

peratores qui fraude victoriam quæſiſſent, & alius: *Nullo diſcrimine virtutis ac doli proſperi omnes laudari debent belli eventus.* Et hoc inprimis apud Græcos glorioſum fuit. Hæc verò ut ut ſint & natura ſic dictante non reprobentur, tamen generoſius eſt etiam in hoſtem falſiloquio abſtinere. Sic Euripides Rheſo ait: *Generoſus animus hoſtibus furtim necem inferre neſcit*: & Quintus Curtius *lib. 4. de Reb. geſtis Alexandri Magni.* Eum Parmenioni noctu hoſtibus cladem inferendam ſuadenti ſic reſpondiſſe refert: *Latrunculorum & furum iſta ſolertia eſt, quippe illorum votum unicum eſt fallere: Meæ verò gloriæ ſemper aut abſentiam Darii, aut anguſtias locorum aut furtum noctis obſtare non patiar: palàm luce aggredi certum eſt: malo me fortunæ pœniteat quàm victoriæ pudeat.*

b) Jure Gent. Subditi omnes à principe vocati ad bellum exemplo filiorum Iſraël comparere tenentur, hac tamen cum limitatione, ſi neceſſitas extrema id exigit & militum mercenariorum copia haberi nequeat; Aliàs regulariter non æquè, niſi nobiles & feuda militaria habentia. *arg. can. Principes. Can. Regum. 23. q. 5.* Nec hi quoque

que ſi bellū apertè iniquum Dominus Feudi moveat: quia fides ad facinora non extenditur *l Iuriſgentium* 7. §. *ſi ob maleficium* 3. *ff. d. Pact.* item Rei quæ turpis nullum mandatum §. *illud Inſt. Mand. l. Si remunerandi.* 6. §. *Rei turpis. l. Si mandavero.* 22. §. *Qui ædem ff. Mandati.* Deinde bello peti poſſunt bona ſubditorum pro debitis imperantium, id quod videre eſt ex formulis denunciationū antiquis: qualis eſt apud Liv. *lib.* 1. *Populis priſcorum Latinorum hominibusque priſcis latinis bellum indico facióque.*

Et in rogatione: *idē lib.* 31. *vellent juberent Philippo regi Macedonibusque qui ſub regno ejus eſſent bellum indici.* Et in decreto ipſo *Gell. lib.* 14. *cap.* 4. *Populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque hermundulis bellum juſſit. &c.* & iterum *Liv. lib.* 38. *Hoſtis ſit ille quique intra præſidia ejus ſunt.* Idem demonſtrant exempla præhenſionum tam hominum quàm rerum: Hominum quod attinet verba legis Atticæ hæc erant: *Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximus ac neceſſariis jus eſto homines præhendendi, donec aut pœna ſumatur de cæde, aut homicidæ dedantur: liceat autem tres tantum homines præ-*

hendere, non ultra, &c. Eadem ferè verba leguntur apud Demoſthenem & Julium Polluc. *lib.* 8. *cap.* 6. Aſt hæc tantùm de bonis, non etiam vitâ ſubditorū accipienda ſunt: Et licet quoque nonnunquam æque ſimul ea pereat tamen ex accidente oportet eveniat, niſi iniquitatis argui velit ſuperior. Hinc conſequens eſt, *ad mentem Dec. Conſ.* 352. *Bald. l* 3. *d. off. adſeſſ.* Jure Gentium ſubjacere pignorationi omnes ſubditos injuriam facientis: Et introductæ ſunt hujusmodi pignorationes ad exemplum onerum quæ pro exoluendis debitis publicis indicuntur. Deinde jure gentium in bello quidem ſolenni licitum eſt interficere non tantùm eos qui actu ipſo arma gerunt, aut qui bellum moventis ſubditi ſunt, ſed omnes etiā qui intra fines ſunt hoſtiles, id quod patet ex paulò ante citatis verbis Livii. *Hoſtis ſit ille quique intra præſidia ejus ſunt*: ſive etiam infantes, ſive fœminæ (quarum tamen pudicitiæ parcendum omninò eſt, adeò quoque ut non minus violator earum teneatur lege quâ tenetur tempore pacis) ſint; quod teſtari videtur *Pſ.* 137. 9. Cui par eſt illud Homeri:

illi-

illiſáque corpora terræ
Infantum, ſævus dum concutit omnia
———Mavors.

Sic Appianus refert Romanos, captâ Ilurgiâ urbe Hiſpaniæ, ſine diſcrimine interemiſſe etiam mulieres & pueros.

Imò qui ſine conditione ulla ſe dederunt aut ſaltem eâ quam vocant Auff Gnad vnnd Vngnad / interfici jure poſſunt: Hoc modo à Sulla Samnítes, à Cæſare Numidas & Vercingentorix dux Noviodunenſium ultimo ſupplicio plexi fuêre: qui mos ferè perpetuus fuit Romanis in hoſtium duces ſive captos ſive deditos: *atteſtantib. Cic. 5. verr. Liv. lib.* 28. *Tatico Ann.* 12. *& aliis.*

Modum quod attinet, abſit venenum & incantatio, bellum enim per vim eſt concertatio, & quisquis in eo utitur illis jure meretur ſententiam Flori de M. Aquillio. *lib. 2. cap. ult.* qui ſic in hunc invehitur: *M. Aquillius Aſiatici belli reliquias confecit, mixtis* (nefas!) *veneno fontib. ad deditionem quarundam urbium: quæ res ut maturam ita infamem fecit victoriam, quippe cum contra fas Deum, moresque maiorum medicaminib. impuris in id tempus ſacroſancta Romana arma*

vio-

violaſſet. Livius *lib.* 42. de Perſeo loquens, *clandeſtina ſcelera*; Claudianus, *Nefas*, Cic. *off.* 3. *ſcelus. vide Albericum Gentil. de jure belli lib.* 2. *cap.* 6. ubi dexterrimè hanc quæſtionem tractat. Requirit inſuper jus Gentium non quidem univerſale, ſed Europæarum & ſi quæ ad Europæ meliorem cultum accedunt abſtinentiam à ſpiculis veneno tinctis & fontium infectione, quâ de jam audivimus Florum, licet alio modo corrumpere aquas ne bibi queant haud ſit prohibitum, imò probatum à Solone & Amphyctionibus. *Pauſ. lib. ult. Front. lib.* 3 *Æſch. de malè ob. leg.* Locum hic quoque ſibi vindicat elegantiſſima quæſtio Num hoſtem interficere liceat immiſſo percuſſore: quod ſub iſta limitatione concedimus, ſi percuſſor neq; expreſſam neq; tacitam fidem violet: ſic quod Pipinus Caroli M. pater unico ſatellite comitatus trajecto Rheno hoſtem in cubiculo interfecit non minus laude quàm admiratione dignum eſt. Et hactenus de jure hoſtem interficiendi dicta de ſtricti juris rigore, quem Cicero alicubi vocat ſummum jus quod in ſummam interdum injuriam evadat, accipienda ſunt: Ubi notabis *ob infortu-*

nium

nium neminem rectè interfici, veluti qui coactus hoſtem ſecutus eſt: nec indifferenter aßiſtentes pari modo atque auctores belli, nec hoc quoque ſi pro fide, pro libertate, aut pro fœdere in bellū accincti ſunt, inquit Sen. *lib.2. de Clem. c.7.* Imò & meritam hoſtibus pœnam remittere nonnunquam præſtat: Sic ignoſcendo crevit Romanorum magnitudo *teſte Saluſt. Cui accedit Tacit. Annal.*12. *quanta*, cenſens, *pervicaciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ adverſus ſupplices utendum eſſe. can.* 3. 23. *q.* 1. *Sicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur*. Parcendum quoque eſt omninò pueris quos, ætas; & fœminis, quas ſexus excuſat. *Senec. de ira lib.* 3. 24. *Fœmina nomen hoſtis non capit; Cum captivis & fœminis gerere bellum non ſoleo, armatus ſit oportet quem oderim* ſtrenuè inquit Alex. Magn. *ap. Curt. lib.* 5. *vide Deut. cap.* 20. *verſ.*14. *Senec lib.2. cap.9. de ira: Num quis iraſcitur pueris, quorum ætas nondum novit rerum diſcrimina*; cui geminum eſt exemplum DEI clementiſſimi apud Jonam *cap.*4. 2. ubi miſeratione ſe à pœnâ infligendâ paſſus eſt

retrahi multorum millium qui æqui & iniqui diſcrimina ignorarent. Et hoc in pueris ſemper procedit obtinetque; in mulieribus non itē, niſi quando quid admiſerint quod peculiariter non vindicandum venit, ſecus ſi virilibus officiis & ipſæ fungantur. Parcendum item eadem ratione maribus, quorum vita aliena ab armis eſt, de horum numero ſunt ii qui ſacra curant, & qui ſtudiis literarum honeſtis & humano generi utilibus operam navant, *arg. auth. Habita. C. Ne fil. pro patre. ibi: quis non miſereatur.* nec non Agricolarum: ſic Diod. Sicul. *lib.* 2. *Bibl. in prœliis quidem hoſtes alii alios interficiunt, at agricolas relinquunt intactos, tanquam in commune utiles*: Suidas Beliſarium laudibus ſic extollit: *Agricolis ita parcebat, ac tantam pro illis curam gerebat, ut eo duce nulli unquam eorum vis illata fuerit.* Parcendum porrò mercatoribus, opificibus, artificibus, captis, maximè in quibus pacis turbatio non timetur: *Auguſtin. in Epiſt.* 1. *ad Bonif.* His qui ſine conditionibus victori ſe permittunt: cum *trucidare deditos ſævum ſit. Tac. Ann.* 12. Tertiò de jure Gent. licitum eſt ea quæ hoſtium

ſunt

ſunt vaſtare: Sic Cic. 3. *off. Non eſt contra naturam ſpoliare eum quem honeſtum eſt necare. Polyb. hiſtor. 5. Iure belli comprehenditur, ut munitiones hoſtium, portus, urbes, vici, naves, fructus & ſi quæ ſunt alia, aut eripiantur aut corrumpantur.* Et Livius tradit *eſſe quadam belli jura, quæ ut facere ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi: adde cap. 20. 19. Deut. Theoloſ. cap. 10. Althuſ. cap. 36. fol.* 608. Etiam ſacra & Deo dicata huic juri ſubjacent, *per l. Cum loca. 36. ff. de Religioſ. Cic. in Verrinâ* 4. Itemque religioſa: *l. Sepulchra. 4. ff. de ſepulch. violat.* Attamen & hîc aliquid moderationis adhibendum: Nam licet hæc omnia victori jura cedant: ſatius tamen nonnunquam erit abſtinere; cumprimis ſi res nobis ipſis ſint fructuoſæ, nec conſervatio earum hoſti prodeſſe poſſit: ſic lex divina in vallum bellique opera vult impendi arbores feras: Si celeris victoriæ ſpes ſit; hinc Alexander Mag. milites ſuos à vaſtatione Aſiæ prohibuit: parcendum ſuis rebus, præfatus, nec perdenda ea quæ poſſeſſuri venerant. *Iuſtin. lib. 9. & Liv. lib.* 32. Antiqui Macedonum reges acie bellare ſoliti ur-

bib. parcebant quantùm poterant, quo opulentius imperium haberent: Si hoſtis aliunde eâdem operâ habere poſſit quibus ſe ſuſtentet. Si res tales ſint quæ perditæ nec vires hoſti adimant, nec perdenti emolumentum afferant, id quod rabioſi animi eſſe Polybius cenſet *lib.* 5. huc pertinet Rhodiorum oratio ad Demetriũ pro picturâ Jalyſi *quam Gell. lib.* 15. *cap.* 31. *latinis verbis ſic expreſſit: Quæ, malùm, ratio eſt, ut tu imaginem iſtam velis incendio adium facto diſperdere? nam ſi nos omnes ſuperaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illâ integrâ & incolumi per victoriam potieris: Sin verò nos vincere obſidendo nequieris, petimus conſideres, ne turpe tibi ſit, quia non potueris Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe.* Maximè verò hoc attendendum in rebus ſacris uſibus dicatis: Quanquam enim & hæ, ut publica jure Gentium, impunè violantur, tamen ſi nullum inde periculum ſit, conſervari talia ædificia & quæ iis accedunt ſuadet reverentia rebus divinis debita, inter eos cumprimis qui eundem DEUM ex eadem lege colunt *inquit Syl. de bello. p.* 3. *n.* 5. Item quoque

in

in religioſis, quæ æquè niſi contemtâ humanitate violari nequeunt: *ſummam quippe rationem eſſe quæ facit pro religione* Papinianus *l. Sunt perſonæ.* 43. *in fin. ff. de Religioſ.* pronunciat. Quartò Jure Gentium bello ſolenni capti in ſervitutem rediguntur cum omnibus poſteris *per l. Et ſervorum* 5. § *Servi.* 1. *ff. de ſtatu hom. Tacit. Ann.* 1. Adeóque competit victori in eos jus vitæ & necis. *l. De jure* 1. §. 1. *ff. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* dominiumq; rerum eorum in nos pleno jure transfertur, §. *item vobis.* 3. *Inſtit. per quas perſ. cuiq; acquir.* Qui tamen rigor inter Chriſtianos meritò evanuit. Tandem & exploratores in bello tutò haberi ſinit jus G. *ContZen. lib.* 10. *cap.* 51. *Polyb. lib.* 3.

c) Fidem circa promiſſa in bello cuivis hoſti debemus: hinc Syl. Ital. *lib.* 25.

——————*Optimus ille*
Militiæ, cui poſtremum primumque tueri
Inter bella fidem.

Pontifex *in can.* 3. 23. *q.* 1. *Fides,* inquit, *quando promittitur, etiã hoſti ſervanda eſt. & D. Ambroſ. lib.* 2. *c.* 29. Liquet igitur *etiam in bello fidem & juſtitiam ſervari oportere. Auguſtin. Epiſt.* 1. *ad Bonif.*

Ceterùm cum quæcunq; inter hoſtes conveniunt fide conſtent vel expreſsâ vel tacitâ; Expreſſa publica ſit aut privata; & publica rurſum aut ſummorum aut inferiorum poteſtatum, iſtaque vel bello finem imponat vel manente eo vim habeat, agedum videamus quid in quolibet ſpectetur: In his quæ bellum finiunt attendendum tam ad principalia, quàm ad acceſſiones: Principalia ſunt ipſa quæ bellum finiunt, ſive actu ſuo; ut: pactiones, ſive ex conſenſu ad aliud relato; ut: Sortes, Prælii exitus. Arbitri pronunciatio. Pactiones inire quæ bellum finiant eorum eſt quorum eſt bellum, ne tamen his Regna Reges quæ non in patrimonio, ſed in uſu ſaltem fructu habent, omninò vel etiam partem alienent, niſi conſenſus interveniat totius populi. Hiſce pactis, ſi ſpecialiter & nominatim nihil convenerit aliud, continetur & hoc, ut de utrinque damnis datis nulla neutri parti competat actio. Ex principalibus quæ bellum finiunt ex conſenſu ad aliud relato I. eſt Sors: Cui, licèt non ſemper, attamen ubi de re plenè noſtro dominio ſubjecto agitur, & ſi, qui

bello

bello petitur, omni ſpe reſiſtendi ſit deſtitutus, belli exitus credendus eſt & committendus. *Liv. lib.* 2. *cap.* 20. II. PRÆLIUM puta inter duos, ut Æneam & Turnum, Menelaum & Paridem; inter binos utrinque ut: Ætolos & Eleos. Ternos, ut: Horatios Romanos & Curiatios Albanos; Tricenos, ut: Lacedæmonios & Argivos. Et hæc certamina à jure Gent. externo probantur, ac proinde circa hæc inita pacta ſtrictè præſtanda eſſe non dubitatur. Juri Divino rectæque rationi hæc ſententia repugnare videtur niſi evidentiſſimè pateat hoſtem aliàs fore ſuperiorem. III. Compromiſſio in arbitros: Ubi, ſecus ac jure Civili, ſcias de re aliàs bello dirimenda compromittentes ab iis provocare & de injuriâ queri non poſſe. Acceſſoria pactis plerumque ſunt vel Obſides, quos violatâ à dante fide occidere permittit jus Gent. externum, non tamen in ſervitutem redigere: De his oritur quæſtio, num fugere ipſis liceat: ſubſcribimus ſententiæ negantium. Vel Pignora, de quibus pactio adeò ſtrictè ut in obſidibus non ſumitur. Et hæc de his quæ bellum finiunt di-

dixiſſe ſufficiat. Jam diſpiciendum de vi promiſſionum manente bello: Hæc maximè occupata eſt circa inducias, quas ICtus Paulus *in l. Poſtliminium.* 19. §. *Induciæ* 1. *ff. de captivis. &c.* definit: *cum in breve & in præſens tempus convenit, ne invicẽ ſe laceſſant*; id quod accuratè explicat Alber. Gent. *in ſæpiſſimè citato tractatu de belli jure.* In his requiritur fides ſtatim atque contractus eſt abſolutus, nec admittit ullum exercere actum bellicum ſive in perſonas ſive in res: cui tamen non æquivalent, nec horum numero veniunt, recedere cum exercitu, reficere mœnia, militem conſcribere, & ſi quæ ſunt id genus alia. Tantùm jam de ſummorum poteſtatum fide. Minorum quod ſpectat, ſcilicet ducum, quorum pactiones inter publicas conventiones refert Ulpianus *l. Conventionum ff. de pactis*; ſciamus obſtringi tam eos ipſos quam principales & ſuperiores: hi quidem hanc ob rationem, quòd qui alterum voluntatis ſuæ miniſtrum elegerit, eundem quoque tueri teneatur in iis quæ ſuo nomine egerit, adeóque & obligetur, niſi forſan terminos ille mandati & limites exceſſerit.

Ha-

Hactenus dicta de jure belli in genere ſufficiant, ſiquidem ſpecialiora tradere hâc in materiâ, poſt ſtatum huncce imperii noſtrum, aliæ graviſſimæ magnique ponderis rationes prohibent: Quapropter lectorem benevolum ſtudiosè rogamus, ne incogitantiæ, neque etiam neglectui imputet, ſi fortè quædam iniquè prætergreſſa ſive omiſſa ſibi videantur.

FINIS.

COROLARIA.

I. Quid, finitimis duobus gravi ac acri bello implicitis, faciendum, cum quibus tamen præter vicinitatem ſocietas, fœdera, aut pacta nulla nobis ſint, num uni parti te adjungere eamque adjuvare jure poſſis, an verò ab utrorúmque ſocietate & fœdere abſtinere debeas, neutralémque eſſe conſultius ſit? *Diſt.*

II. An Status Romani Imperii inſcio

Cæſare & abſque ejus licentiâ bellum movere poſſit? N. *Ordinat. Camer: parte* 2. *tit.* 15. *ibi.* Auß der Keyserlichen Mayestät oder unserm zugeben/ oder erlaubnussen ꝛc. Quia ea uſurpare quæ ſolius principis i. e. Imperatoris ſunt, crimen læſæ majeſtatis eſt; at movere bellũ ad ſolum Imperatorem pertinet; ergò ipſo inſcio ſine læſæ Majeſtatis crimine moveri illa nequeunt. Præterea hoſtes ab Ulpiano in *l. Hoſtes.* 24. *D. de Capt. & poſtlim. reverſ.* & à Pomponio *in l. Hoſtes.* 118. *D. V. S.* definiuntur quibus bellum publicè Pop. Rom. decrevit, vel ipſi populo Romano; ceteri latrones, aut prædones ſunt. At Pop. Romanus lege Regiâ omnem poteſtatem in Principem, id eſt, Imperatorem tranſtulit. §. *Sed & quod principi.* 6. *Inſt. de I. N. G. & C. l.* 1. *D. de Conſtit. Princ. l.* 2. §. *Noviſsimè.* 11. *D. de O. I.* ſequitur igitur bellum non poſſe indici, niſi à principe Romano, in quem Pop. Rom. & ſtatus Imperii omnem poteſtatem tranſtulerunt. Sed principibus ac Magiſtratibus ſummopere cavẽdum, ne temerè in Martium hunc campum deſcendant. *Nihil enim Imperatori bono,* teſte optimo Imp. Auguſto, *minus congruit quàm celeritas, ſatis celeriter fieri dicebat, quidquid*

com-

commodè gereretur. Aurel. Victor *in vita Auguſt.* Magna enim res eſt, dubitationémque poſtulat, eámque lentam. Nam bellis facilè ſe quis induere poteſt, explicare autem ægerrimè; quod incipere, *teſte Saluſtio*, cuivis etiā ignavo licet, deponi cum victores velint, quare priusquā ingrediaris, præcogitanda omnia eventa, nam Mars ambiguus, & nusquam minus, *teſte Livio*, quàm in bello eventus reſpondent, & fortuna, quæ per omnia humana, maximè in res bellicas potens.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EM.